DE ONESICRITO SCRIPTORE ALEXANDRI MAGNI.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDORUM CAUSSA

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE V. MENSIS MARTII ANNI CIƆIƆCCCLXIV

PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS LILIE

MAGDEBURGENSIS.

PARTES ADVERSARIORUM SUSCIPIENT:

IOSEPHUS KAMP, SEM. PHIL. NUP. SOD. ORD.
FERDINANDUS COMMER, STUD. PHIL.
OTTO RICHTER, SEM. PHIL. SOD. ORD.

BONNAE

TYPIS EXPRESSIT PETRUS NEUSSER.

MDCCCLXIV.

Inter omnes magnos viros antiquitatis, qui vel ingeni amplitudine vel magnitudine rerum gestarum tantum valuerunt, ut omnium fere rerum ordinem commutarent, nemo maiorem gloriam quam Alexander adeptus est. Ille enim adolescens patrii regni heres, cum seditionem Graecorum, qui propter adolescentiam regis facillime libertatem a patre eius Philippo ereptam se recuperaturos sperabant, paene ipso adventu suo exstinxisset, maximum orbis terrarum imperium adortus, parvo exercitu ingentes barbarorum copias iterum iterumque prostravit totumque regnum Persarum evertit. Qua re non contentus in Indiam quoque profectus totam illam regionem subegisset, nisi ad flumen Hyphasim milites laborum, quos iam per sex annos perpessi erant, pertaesi eum redire coëgissent. Itaque invitus revertens, cum Nearchum atque Onesicritum cum navibus maris Erythraei littora legere jussisset, ipse pedestri itinere in Babyloniam exercitum reduxit, ubi paulo post, cum disiecta immensi regni membra novo rerum ordine componeret atque nova consilia navaret, immatura morte est absumptus. Illa autem magnitudo et copia rerum, quae per paucos annos gestae omnes summa admiratione impleverant, nonnullos Alexandri amicos atque socios, ut regem pro se quisque litteris celebrarent atque illustrarent, facillime impulit.

Itaque commentarii exstiterunt Ptolemai Lagi, Aristobuli, Anaximenis, Clitarchi, Callisthenis, Onesicriti, Nearchi, Charetis, Ephippi, Marsyae, Androsthenis, Medii, Eumenis, Deodoti, Baetonis, Diognetis. Ex quorum numero si exceperis Anaximenem, Callisthenem, Clitarchum, quos philosophos rhetoricarum artium studiosissimos Alexander, ut res a se gestas litteris consignarent, secum duxerat, reliqui omnes regem vel duces copiarum, vel navalis rei periti, vel itinerum mensores vel aliam ob causam secuti sunt neque ullo modo res gestas scribere initio in animum induxerunt.

Illorum commentarii cum, nonnullis fragmentis exceptis, quorum maxima pars est servata ab Ariano, Plutarcho, Strabone, Athenaeo, Plinio, Curtio, Diodoro Siculo, omnes perierint, maxime est dolendum, quod Arrianus optime omnium scriptorum de historia Alexandri meritus, Ptolemaeum, Aristobulum, Nearchum, quos solos ex eorum numero, quos commemoravimus, fide dignos esse putavit, in usum suum convertit, reliquos vero ita neglexit, ut nullo fere loco eorum mentionem faceret. Aliter quidem Plutarchus, Strabo, Athenaeus, Plinius, egerunt; sed quamquam ad omnes fere Alexandri magni suppares historicos provocant, tamen nullo modo deperditos commentarios prorsus reparare possunt.

Attamen quatenus ex fragmentis, quae exstant, cognosci potest, illi scriptores nullo modo Thucydidem atque Xenophontem, qui omnibus exemplum, quomodo historia esset conscribenda, suis scriptis proposuerunt, sunt assecuti. Nam cum illo tempore scriberent, quo historici a pristina simplicitate, gravitate, veritati deflectentes maxime rhetorum ornatu utebantur, in idem vitium sunt lapsi atque magis id egerunt ut rhetoricis artificiis lectorum animos pellicerent atque tenerent quam ut res gestas ad veritatem, id quod prima historiae scribendae lex est, litteris con-

signarent. Accedit quod illas regiones Alexander subegit, de quibus iam antea multa mirabilia audierant; quae cum maximam partem vera esse invenirent, facillime commoveri potuerunt, ut etiam ea, quae sciscitando ab aliis cognoverunt, crederent atque litteris mandarent. Id quod maxime apparet in rebus Indiae describendis, de qua regione in eorum commentariis vera falsis, praeclara ineptis immixta inveniuntur.

Si praeterea animo reputabis omnes illos scriptores amicos vel ministros regis fuisse, non miraberis, quod omnes fere vel studio blandiendi ducti vel rerum gestarum magnitudine obcaecati non modo res auxerunt atque exaggeraverunt, sed etiam multa, quibus imago Alexandri minus perfecta videri posset, silentio transierunt. Ex his omnibus caussis cum multi scriptores Alexandri a posteritate vehementer vituperarentur atque eam in famam, ut nihil fidei iis tribuendum esset, incurrerent, tamen nulli id magis quam Onesicrito accidit.

Hanc autem vituperationem ille maxime ob eam caussam est sibi contraxit quod, cum copiosissimam Indiae descriptionem commentariis intexuisset, multa mirabilia quae ab aliis de ea regione audierat, iudicio non adhibito, tradidit. Itaque non est mirandum, quod Strabo, qui in India describenda Onesicritum maxime est secutus, eum propter τερατολογίαν vehementissime omnium scriptorum, qui eius mentionem fecerunt, perstrinxit eumque οὐκ Ἀλεξάνδρου μᾶλλον ἢ τῶν παραδόξων ἀρχικυβερνήτην appellare non dubitavit. Cuius iudicium recentiores Santo-Crucius, Geierus, Carolus Muellerus secuti eum mala fide omniaque exaggerandi libidine fuisse putaverunt.

Attamen cum illi multo severius, quam probari possit, de eo iudicaverint, hunc locum quatenus fides sit habenda Onesicrito, denuo pertractare mihi propositum est. Priusquam autem hoc perago, de vita atque scriptis eius, quia

minus diligenter ab eis, qui eum commemorant, sit actum, pauca dicam.

Hoc autem loco operae pretium esse mihi videtur, eos, qui in universum de Onesicrito scripserunt, afferre.

G. I. Vossius de historicis Graecis Lugd. Bat. 1651. p. 59. Lips. 1838. p. 94.

Fabricius: Biblioth. Graec. vol. III. p. 8. Hamburg.

St. Croix: Examen critique des anciens historiens d'Alexandre le Grand ed. II. Paris 1804. pag. 38 sqq. 745 sqq.

M. H. E. Meier in Erschi et Gruberi litterarum et artium encyclopaedia. sect. III. vol. III. p. 455 sqq.

Geier: Commentationis de Alexandri M. rerum scriptoribus particula Halis 1835. p. 18—30. atque: Scriptores historiarum Alexandri M. aetate suppares Lips. 1844. p. 74—108.

C. Muellerus: Scriptorum de rebus Alexandri M. fragmenta editioni Ariani affixa. Parisiis 1846. p. 46—57.

I.

De vita Onesicriti.

Ex eis quae de vita Onesicriti cognita habemus, pleraque sunt servata a Diogene Laërtio, qui inter vitas clarorum philosophorum illius etiam vitam breviter attigit, pauca ad Arrianum, Strabonem, Lucianum, Aelianum, Curtium sunt referenda. Suidas autem, qui, quocunque loco Onesicriti mentionem fecit, Diogenem Laërtium aut Arrianum secutus est, quamquam uno modo loco sub verbo ἀπόγραφος illum memorat, tamen ad eum etiam spectant, quae legimus sub verbo Νέαρχος, ubi Suidas errore ductus ea de Nearcho narrat, quae ad Onesicritum pertinere necesse est. Praeterea s. v. Φιλίσκος eum denotat, nomen quidem non affert. Quae de eo referuntur s. v. Ὀνησίκριτος a librariis inserta esse recte iam animadvertit Bernhardius

De patria Onesicriti audiamus Diogenem Laërtium: τοῦτον (sc. Ὀνησίκριτον) οἱ μὲν Αἰγινήτην, Δημήτριος ὁ Μάγνης[1]) Ἀστυπαλαιέα φησί. Cum Demetrio Magnete Arrianus (Ind. 18, 9) atque Aelianus (h. a. XIII, 39), cum reliquis Diogenes Laërtius (VI, 75) consentiunt.

---

[1]) Demetrius Magnes, aequalis Ciceronis (Epp. ad Attic. VIII, 11. 12). scripsit περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων. cf. G. A. Scheurleer: Disputatio philologica de Demetrio Magnete. Lugd. Bat. 1858 p. 104: „Diogenes Laërtius, nisi si eum in Demetrio aut in Diogene nos exemplarium vitium, ludit, neglexit exscribere Onesicrito ὁμωνύμους; quosnam aut quemnam noverit Demetrius, nunc qui dicat, magnus erit Apollo“.

Illam autem dissensionem scriptorum cum Meierus (in Ersch. et Gr. encyl. s. v. Onesicritus) componere vellet, Astipalaeae Onesicritum natum, Aeginae posteriore tempore commoratum vel civitate ab ea donatum coniecit [1]). Quam quidem Astipalaeam cum complures urbes vel insulae [2]) eius nominis memorentur intelligi voluerit, ex illius verbis non liquet. Schmiederus (ad Arr. Ind. 18,9 p. 101) de insula maris Carpathii cogitat, rationem autem coniecturae non affert.

Cum vero quae illi viri docti coniecerunt, mihi probabilia esse non videantur, quid de ea re statuam, proferam. Legimus enim apud Herodotum (VI, 89), cum antea de Nicodromo, qui patriam Aeginam Atheniensibus prodere vellet, dixisset, ea verba: *μετὰ ταῦτα καταλαμβάνει μὲν κατὰ συνεθήκατο ὁ Νικόδρομος Ἀθηναίοισι τὴν παλαιὴν καλεομένην πόλιν, Ἀθηναῖοι δὲ οὐ παραγίνοντο ἐς δέον* sqq. Ex quibus verbis quamquam nomen urbis, ut ex verbo *καλεομένην* intelligi potest, non plane cognoscimus, tamen in Aegina insula novam atque veterem urbem fuisse apparet. Itaque maxime verisimile esse mihi videtur, quo modo incolae Coi insulae [3]) cum nonnulli vetere urbe relicta novam condidissent, veterem Astypalaeam, Coum novam urbem appellaverint, sic Aeginetas veterem urbem Astypalaeam, illam, cuius

---

1) Benneri (ad Lucian. Macrob. 14) dubitationem num Onesicritus Astypalaeensis idem habendus sit ac Aeginetes, recte vituperat Geierus p. 74.

2) Stephanus Byz: s. v. *Ἀστυπάλαια, νῆσος μία τῶν Κυκλάδων, δευτέρα πόλις ἐν Κῴ, τρίτη νῆσος πόλιν ἔχουσα μεταξὺ Ῥόδου καὶ Κρήτης, τετάρτη πόλις ἐν Σάμῳ.* Strabo memorat praeter urbem in Coo insula sitam et Cycladum insulam duo promontoria eiusdem nominis, alterum Atticae (IX, 1, 21 p. 398 Cas.,) alterum Cariae (XIV, 2, 20 p. 658.)

3) Strabo XIV, 2, 19 p. 657. Idem in Samo insula mihi accidisse videtur, ubi urbes Samus et Astypalaea commemorantur.

fundamenta postea iecerunt, Aeginam appellasse. Qua ex caussa summo iure Onesicritus tum Astypalaeensis ex urbe, in qua est natus, tum Aeginetes ex insula, in qua illa urbs erat sita, nominari potuit. Nunc videamus quid de patre Onesicriti sit statuendum.

Suidas enim duos Philiscos Aeginetas[1]) affert, ex quibus alter Alexandrum Magnum in legendo scribendoque instituisse, alter filius Onesicriti, quo modo ex Diogene Laërtio apparet, quem hic Suidas sequitur, fuisse dicitur[2]). Hoc loco Suidae editores, quae de magistro Alexandri et de filio Onesicriti memorantur, cum uterque Aegineta et discipulus Diogenis, qui Cynicus appellabatur, fuisse tradatur, ad unum eundemque Philiscum spectare putaverunt. Quae sententia omnino est reicienda.

Si enim rationem temporis habemus nullo modo, id quod iam Meierus (in Erschi et Gruberi encycl. s. v. Philiscus s. III vol. 23, p. 319.) observat, eundem virum et Alexandrum instituisse, et Stilponem, qui Ptolemaei Lagi temporibus floruit, audiisse verisimile esse potest. Itaque multo probabilius esse mihi videtur, Suidam, qui, ut inter omnes constat, maxima negligentia libros, qui praesto erant, exscripsit sub voce *Φιλίσκος Αἰγινήτης, ὁ διδάξας*

---

[1]) *Φιλίσκος Αἰγινήτης. ὁ διδάξας γράμματα Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα, αὐτὸς δὲ ἀκουστὴς ἦν τοῦ Κυνὸς Διογένους, κατὰ δὲ Ἕρμιππον, Στίλπωνος, ἔγραψε διαλόγους, ὧν ἐστι Κόδρος.*

Φιλίσκος, Αἰγινήτης, ὃς κατὰ θέαν ἐλθὼν τῶν Ἀθηναίων, ἀκούσας Διογένους ἐφιλοσόφησεν, ὁ δὲ τούτου πατὴρ ἀπέστειλεν ἐπ' αὐτὸν τὸν ἀδελφὸν καὶ ταὐτὸν ἔπαθε καὶ οὗτος καὶ πατὴρ πάλιν ἐπ' ἀμφοτέρους ἐλθὼν ἐφιλοσόφησε καὶ αὐτός. ἐγένετο δ' αὐτοῦ ὁμιλητὴς καὶ Φωκίων ὁ χρηστός. τελευτήσας δ' ἐν Κορίνθῳ κεῖται καὶ κύων ἐστὶν ἐπὶ τῷ μνήματι. ἐτιμήθη δ' εἰκόνι παρὰ Σινωπέων καὶ ἐπιγράμματι·

Γηράσκει καὶ χάλκος ὑπὸ χρόνου· ἀλλὰ σὸν οὔτι
κῦδος πᾶς αἴων Διόγενες, καθελεῖ.
Μοῦνος ἀεὶ βιοτῆς αὐταρκέα δόξαν ἔδειξας
θνητοῖς καὶ ζωῆς οἶμον ἐλαφροτάτην.

[2]) Schöll: hist. de la littérat. Grecque III p. 254.

γράμματα Ἀλέξανδρον sqq. duos Philiscos Aeginetas confudisse atque quo modo sub posteriore voce *Φιλίσκος Αἰγινήτης* de filio Onesicriti quae ad Diogenem Cynicum spectant, narraverit, sic hoc loco magistro Alexandri, quae sunt ad Onesicriti filium referenda, tribuisse. Ille autem magister Alexandri nullo loco praeterea commemoratur, nisi forte ea verba, quae Aelianus Philiscum quendam cum Alexandro loquentem fecit, ad eum spectare putabis [1]).

Si igitur tenemus duos fuisse Philiscos Aeginetas, Onesicritum filium magistri Alexandri fuisse maxime probabile esse videatur. Nam cum mos esset Graecorum, ut filius nomine avi a patre appellaretur, Onesicritum quoque filio maiori natu nomen patris Philisci imposuisse conicere licebit [2]). Si praeterea considerabis Philiscum, magistrum Alexandri, atque Onesicritum ex eadem insula ortos, eademque Alexandri familiaritate usos esse, quis, quaeso, Onesicriti pater alius fuit, nisi ille Philiscus Aegineta, quem Alexandrum in legendo scribendoque instituisse constat?

De Onesiriti iuventute usque ad id tempus, quo Athenis cum Diogene Cynico convenit, nihil memoriae est traditum, quo modo autem Diogenis discipulus fieret, optime comperimus ex Diogene Laërtio VI, 75: *Θαυμαστὴ δέ τις ἦν περὶ τὸν ἄνδρα* (sc. *Διογένη*) *πειθὼ, ὥστε*

---

[1]) Ael. v. h. XIV, 11. *Φιλίσκος πρὸς Ἀλέξανδρον ἔφη ποτὲ· δόξης φρόντιζε, ἀλλὰ μὴ ἔσο λοιμὸς καὶ μεγάλη νόσος, ἀλλὰ εἰρήνη καὶ ὑγεία· λέγων, τὸ μὲν βιαίως ἄρχειν καὶ πικρῶς, καὶ αἱρεῖν πόλεις, καὶ ἀπολύειν δήμους, λοιμοῦ εἶναι. τὸ δὲ ὑγείας προνοεῖσθαι καὶ σωτηρίας τῶν ἀρχομένων, εἰρήνης ταῦτα ἀγαθά.*

[2]) Operae pretium esse videatur, filios modo Miltiadis, Euripidis, Aristonis afferre, quibus omnibus a patre nomen avi est impositum cf. Her. XI, 34 *Μιλτιάδης ὁ Κίμωνος* cum VI, 36 *ὁ παῖς αὐτοῦ* (sc. *Μιλτίαδου*) *Κίμων.* Suidas: *Εὐριπίδης Μνησάρχου ἢ Μνησαρχίδου*; vita Euripidis v. 27 ed. Nauck: *υἱοὺς κατέλιπε τρεῖς Μνησαρχίδην μὲν πρῶτον* sqq. Vita Soph. (Iahn Elect. p. 8): *ἔχων* (sc. *Σοφοκλῆς*) . . . *ἐκ Θεωρίδος Σικυωνίας Ἀρίστωνα τὸν ἐκ τούτου γενόμενον παῖδα Σοφοκλέα τοὔνομα πλέον ἔστεργεν.*

πάνθ' ὁντινοῦν ῥαδίως αἱρεῖν τοῖς λόγοις. λέγεται γοῦν Ὀνησίκριτόν τινα Αἰγινήτην πέμψαι εἰς Ἀθήνας δυοῖν ὄντοιν υἱοῖν τὸν ἕτερον Ἀνδροσθένην· ὃν ἀκούσαντα τοῦ Διογένους αὐτόθι προσμεῖναι. τὸν δ' ἐπ' αὐτὸν καὶ τὸν ἕτερον ἀποστεῖλαι τὸν πρεσβύτερον Φιλίσκον, τὸν προειρημένον. Ὁμοίως δὲ καὶ τὸν Φιλίσκον κατασταθῆναι. Τὸ τρίτον αὐτὸν ἀφικόμενον μηδὲν ἧττον συνεῖναι τοῖς παισὶ φιλοσοφοῦντα. Quae narratiuncula, sive vera sive falsa est, hoc quidem declarat, provectiore iam aetate Onesicritum ad philosophiam se contulisse. Nihilo minus eo in studio, quamquam id provecta iam aetate susceperat, tantos progressus fecit atque ita excelluit, ut Diogenes Laërtius eum inter *γνωρίμους* vel *ἐλλογίμους* Diogenis discipulos numeraret, Alexander autem propter philosophiae scientiam eum, qui cum Indorum gymnosophistis colloqueretur, ex omnibus comitibus eligeret. Quo loco Plutarchus (vit. Alex. 65) et Strabo (XV, 1, 63, p. 715)[1]) Onesicriti legationem ad gymnosophistas memorant, eum non solum philosophiae Diogenis sed etiam Pythagorae et Socratis operam dedisse comperimus.

Nec multo postquam Diogenis discipulus atque familiaris est factus, ad Alexandrum Magnum eum venisse necesse est, nam ex Diogene Laërtio[2]) eum cum rege Hellespontum traiecisse et tota in expeditione comitem eius fuisse plane elucet. Quo quidem modo gratiam atque be-

---

[1]) Strabo: *εἰπόντος δ' ὅτι καὶ Πυθαγόρας τοιαῦτα λέγοι, κελεύοι τε ἐμψύχων ἀπέχεσθαι, καὶ Σωκράτης, καὶ Διογένης οὗ καὶ αὐτὸς ἀκροάσαιτο, ἀποκρίνασθαι, ὅτι τἆλλα μὲν νομίζοι φρονίμως αὐτοῖς δοκεῖν, ἓν δ' ἁμαρτάνειν, νόμον πρὸ τῆς φύσεως τιθεμένους.* cf. Pseudocallisth. III, 13.

[2]) D. L. VI, 84. *Ἔοικε δέ τι ὅμοιον πεπονθέναι* (sc. *Ὀνησίκριτος*) *πρὸς Ξενοφῶντα· ἐκεῖνος μὲν γὰρ Κύρῳ συνεστράτευσεν, οὗτος Ἀλεξάνδρῳ.*

nevolentiam Alexandri sibi conciliaverit, non traditur, attamen facillime familiari amicitia eum sibi coniungere potuit, si pater, ut supra memoravimus, magister regis fuit.

Alexander autem cum in illa expeditione in Indiam venisset, classe in Indo flumine aedificata, Nearcho atque Onesicrito, ut oram Ichthyophagorum, Caramaniae, Persidis, usque ad Tigridis ostium legerent, imperavit. Nec vero hoc munus insigni gratiae et favori, quibus omnes philosophos foverit Alexander, debuit Onesicritus, ut Plutarchus [1]) dixit, sed rei navalis peritissimus fuisse videtur, ita ut rex eum cum Nearcho classi praeficeret. (Curt. IX, 38. [10, 3].)

Quem locum in classe habuerit, Onesicritus ipse tradit; *ναύαρχον* (Arr. an. VI, 2, 3.) enim in scriptis se appellavit, quocum Plinius, qui eum tum praefectum classis (h. n. VI, 24, 81), tum ducem (h. n. VIII, 75) nominavit, optime congruit. Non ita reliqui scriptores. Arrianus enim eum navis regiae gubernatorem fuisse falsoque praefectum classis se appellasse dicit [2]). Cum autem cum eo praeter Lucianum [3]) nemo consentiat, non omnino illam Arriani auctoritatem sequendam esse puto. Accedit quod Arrianus non ea aequitate qua par est erga Onesicritum est usus. Nam nihil prodit de illo itinere quod Onesicritus una cum

---

[1]) Plut. de fort. Alex. or. I, 10 ed. Didot. vol. III p. 406 sqq. *Φιλοσόφου τοίνυν ἐστὶ ψυχῆς, σοφίας ἐρᾶν, καὶ σοφοὺς ἄνδρας θαυμάζειν μάλιστα. τοῦτο δ' Ἀλεξάνδρῳ προσῆν, ὡς οὐδενὶ τῶν βασιλέων. Καὶ πῶς μὲν εἶχε πρὸς Ἀριστοτέλην εἴρηται . . . Ὀνησίκριτον δὲ τὸν Διογένους τοῦ κυνὸς μαθητὴν, ὅτι ἄρχοντα τῶν κυβερνητῶν κατέστησεν, ὑπὸ πλειόνων ἱστόρηται.*

[2]) Arr. an. VI, 2, 3. *τοῦ μὲν ναυτικοῦ παντὸς Νέαρχος αὐτῷ ἐξηγεῖτο, τῆς δὲ αὐτοῦ νεὼς κυβερνήτης Ὀνησίκριτος, ὃς ἐν τῇ ξυγγραφῇ, ἥντινα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυνέγραψε καὶ τοῦτο ἐψεύσατο, ναύαρχον ἑαυτὸν εἶναι γράψας, κυβερνήτην ὄντα.* cf. Ind. 18, 9.

[3]) Lucian. de morte Peregr. c. 25. p. 694 ed. Didot: *Ὀνησίκριτος ὁ Ἀλεξάνδρου κυβερνήτης.*

Nearcho, parte navigationis perfecta, ad Alexandrum in Caramania commorantem fecit; id quod Curtius,[1]) cui in hac re certe fides est habenda, narravit; nihil tradit in Indica, quae de illa navigatione maximam partem agit, de coronando Onesicrito (quae quidem res in Anabasi obiter memorat); de Nearcho autem haec omnia enarrare non omisit (Arr. An. VII, 5, 6. Ind. 42. 9). Cur autem hunc in modum in Onesicritum egerit, diudicare non ausim.

Attamen ex reliquis etiam scriptoribus Onesicritum tam inferiorem locum ut Arrianus tradit, tenuisse non apparet; nam Plutarchus (Alex 66. de fort. Al. or I, 10) et Strabo (XV, 2, 4. 1, 28.) *ἀρχικυβερνήτην* vel *τῶν κυβερνητῶν ἄρχοντα* eum appellaverunt, Plinius autem et Curtius,[2]) ubi illius navigationis mentionem fecerunt, ita de Onesicrito atque Nearcho scripserunt, ut uterque eundem locum tenuisse videretur. Qua ex caussa maxime verisimile est ambo fuisse totius navigationis duces, ita quidem ut Nearchus primarium, secundarium Onesicritus obtineret; quod si statuimus, summo iure Onesicritus *ναύαρχον* se appellare potuit. Nam si hunc locum non obtinuisset, qua demum fronte hoc audere potuit apud aequales? Qua, quaeso, spe fore ut lateret, cum tot essent in contrarium testes, quot fuissent in classe milites aut nautae?

In descriptione illius navigationis, quam nobis Plinius (h. n. VI, 26, 96) servavit, cum omnes difficultates non sint expeditae, totum hunc locum denuo pertractabo. Verba enim Plinii, ut vulgo leguntur sunt haec:

---

[1]) Curt. X, 2 (1, 10): Haud multo post Nearchus et Onesicritus, quos longius in Oceanum procedere iusserat, superveniunt. Nunciabant autem sqq. cf. Arr. Ind. 34 sqq.

[2]) Curt IX, 38 (10, 3): Nearcho atque Onesicrito nauticae rei peritis imperavit, ut validissimas navium deducerent in Oceanum sqq. cf. X, 2 (1, 10) Plin. h. n. VI, 96. 109. 124.

„Sed priusquam haec generatim persequamur, indicare convenit, quae prodit Onesicritus classe Alexandri circumvectus in mediterranea Persidis ex India, narrata proxime a Iuba, deinde eam navigationem, quae his annis comperta servatur hodie. Onesicriti et Nearchi naviyatio nec nomina habet mansionum nec spatia, primumque Hylenopolis ab Alexandro condita, unde ceperunt exordium, iuxta quod flumen, aut ubi fuerit, non satis explanatur. Haec tamen digna memoratu produntur sqq.

Primo loco quid de Iubae libro sit statuendum videamus. Iuba[1]), rex Mauretaniae, cum puer, patre apud Thapsum victo, Romam a Iulio Caesare ductus ibi remansisset, Romanis Graecisque litteris institutus otium suum in libris conscribendis consumpsit atque, ut Plinius observat, mirabilior studiorum claritate quam regno factus est. In libris quos de geographia edidit, etiam de ora maris Erythraei, quae est inter ostium Tigridis atque Indiam sita, egit atque in eius descriptione Onesicriti commentarios in usum suum convertit. Qua de re Geieri coniectura (p. 82) Onesicriti atque Nearchi commentariis ita usum esse Iubam, ut, quae apud utrumque memoratu digna viderentur, mixta fortasse doctoribus sequiorum Alexandrinorum de his locis narrationibus, scriptis mandaret eamque scriptionem ex more huius aetatis Onesicriti paraplum appellaret, omnino est reicienda.

Nam primum ex Plinii verbis *„quae prodit Onesicritus . . . narrata proxime a Iuba“* singularem librum de illa navigatione Iubam confecisse non liquet, sed quomodo Onesicritus in commentariis descriptionem illius navigationis intexuit, ita Iuba in libris de expeditione Arabica scriptis, quos, ut Plinius compluribus locis (VI, 31, 141. XII, 31, 56)

---

[1]) De Iubae vita et scriptis cf. Schöll l. Gr. IV, 77. Erschi et Gruberi encycl. sect II, vol 26, p. 320. Müller fragmenta historicorum Graecorum vol. III p. 465 sqq.

memorat, C. Caesari Augusti filio in eam regionem proficiscenti dedicavit, illam navigationem inseruisse videtur, id quod etiam Muellerus (l. l.) affirmat. Deinde ex sequentibus verbis „*Onesicriti et Nearchi navigatio nec nomina habet sqq.*“ Iubam in sua descriptione et Nearchi et Onesicriti commentariis usum esse, colligi non potest. Nam Plinii verba „*Onesicriti et Nearchi navigatio*“ non ad eos commentarios, quos uterque confecit, sed ad duces totius navigationis sunt referenda, verba autem: „*quae prodit Onesicritus*“ ad eum solum cuius commentariis Iuba est usus, spectant. Apud Arrianum denique, qui Nearchum in illa navigatione describenda sequitur, non eadem mansionum nomina, quae Plinius affert, (de qua discrepantia postea agemus) leguntur; quae autem a Strabone nomine Onesicriti laudato de illa navigatione produntur, optime cum iis rebus, quas apud Plinium invenimus, congruunt. Plinius (VI, 98) enim tradit: flumen Caramaniae Hyctanis portuosum et auro fertile; . . . Achaemenidas usque illo tenuisse. aeris et ferri metalla et arrenici ac mini exerceri,“ cum quibus verbis optime quadrat locus Strabonis (XV, 2, 14. p. 726 Cas.): *Ὀνήσικριτος δὲ λέγει ποταμὸν ἐν τῇ Καρμανίᾳ καταφέροντα ψήγματα χρυσοῦ· καὶ ὀρυκτοῦ τε εἶναι μέταλλον καὶ ἀργύρου καὶ χαλκοῦ καὶ μίλτου· ὄρη δὲ εἶναι δύο τὸ μὲν ἀρσενικοῦ, τὸ δ' ἁλός.*

Ex his omnibus caussis Iubam in libro, quem memoravimus, Onesicritum solum secutum esse atque quae apud Plinium legimus ex commentariis eius solis exscripsisse necesse est. Cur autem Plinius non Onesicriti ipsius commentarios, quibus eum compluribus locis (II, 75. VII, 2. VI, 24. XII, 18. XV, 19.) usum esse constat, sed ea, quae proxime a Iuba sunt narrata, in usum suum converterit, difficile est diudicare; fortasse Iuba in eis libris, quibus de Onesicriti navigatione egit, proxime factas in ea regione

navigationes et itinera narravit, ita ut Plinius in hac regione describenda optime Iubam excerpere posset.

Sequitur alius locus Plinii, qui, ut vulgo legitur, criticos atque interpretes vehementer excruciavit. Legimus enim apud eum „*Onesicriti et Nearchi navigatio nec nomina habet mansionum nec spatia.*" Quae verba, quia et spatia et nomina locorum, ad quos, ut ex Arriani Indica liquet, appulsa est classis atque per unum vel plures dies est morata, a Plinio afferuntur, nullo modo explicari possunt, nisi corrupta esse statuimus. Sunt quidem nonnulli interpretes, scriptoris verbis non correctis, huic difficultati mederi conati, sed frustra. Inter quos Dodwellus (in dissertatione de Arriani Nearcho editioni Schmiederi Indicae addita p. 241) de his verbis ita agit: „Hoc ergo volebat Plinius, nihil fuisse in Paraplis Nearchi et Onesicriti, quo de cursu quem tenuerint, aut navigationis universae intervallo, pronuntiari posset. Quod scilicet nec locorum, quibus manserint, nomina continua, ut in itinerariis antiquis Antonini etc., apud illos legerentur; nec locorum spatia exhiberent, ipsa quoque similiter continua."

Quoniam autem verba Plinii ita explicari non possunt, quasi ille dixisset, *nomina continua* locorum, quibus manserint, apud illos non legi, hanc Dodwelli interpretationem reiciendam esse recte iam sensit Vincentius (The voyage of Nearchus. By William Vincent. London 1797, a Schmiedero insertum editioni Arriani Indicae p. 258); verumtamen ipse nihil, quo modo locus sanari posset, attulit, sed loco Strabonis (XV. p. 803 Cas) laudato, quo Nearchus de navigatione ὅτι προσόρμους οὐκ ἔχειν dixit, hoc vocabulum προσόρμους aliquo modo se ad Plinii locum referre dixit et ex tali loquendi ratione Plinii errorem natum esse affirmavit. Tali autem ratione scriptorem interpretari nullo modo liceat. Santo-Crucii denique emendatio, quam in priore Examinis critici editione (Schmieder. Arr. Ind. p.

257) affert, nulla firmata est autoritate; negationem enim in affirmationem mutari voluit; quae emendatio quam contorta esset, ipse sensisse videtur; nam in altera libri editione de hoc loco disserere omnino supersedit. Quam ob rem cum nihil, quod illi viri docti coniecerunt, nobis placeat, arridet Geieri optima emendatio (p. 81 et 104): Onesicriti et Nearchi navigatio nec *omnia* nomina habet mansionum, nec spatia sqq., qua probata planissime omnia procedunt.

Restat ut de mansionum nominibus, quae non uno eodemque modo apud Plinium atque Arrianum leguntur, pauca dicam. Caussae enim huius discrepantiae gravissimae sunt vel corruptelae librariorum, vel fons impurus, unde narrationem Plinius hausit, vel negligentia Plinii ipsius. Illius enim narratio ita confusa est, ut ordinem mansionum vel gentium, quarum oras Onesicritus et Nearchus legerunt, omnino converterit (cf. Salmasii Plin. exerc. in Solinum p. 1177). Nam Ori vel Oritarum[1]) gentem, quae ante Ichthyophagos ponenda fuit, in descriptione navigationis post eos positam invenimus, flumen autem Hyctanis, si fortasse flumini Anami Arriani respondet, quod post Caramaniae promontorium memorandum fuit, ante id inseruit.

Nihilo minus illud Plinii breviarium plurimis locis cum Arriani paraplo egregie posse conciliari, doctissime comprobavit Vincentius (l. l.); itaque operae pretium mihi esse videatur, Plinii nomina atque ex Arriano ea, quae cum iis congruunt, sub conspectum ponere.

---

[1]) De varia nominis scriptura cf. Str. XVII, 2, 7, p. 723. *ἐλθὼν δ'εἰς βασίλειον τῶν Γεδρωσίων ἐξεκοσταῖος ἀπὸ Ὠρῶν;* qui in eodem capite eam gentem *Ὠρίτας* appellat. Arr. an. VI, 28. Plin. 26, 98: Ori gens. Plin. VII, 2, 30: Oritae.

Plinius VI, 26, 96 sqq.	*Arriani Indica.*
Xylenopolis ab Alexandro condita, unde ceperunt exordium, iuxta quod flumen aut ubi fuerit, non satis explanatur.	
Arbis oppidum a Nearcho conditum in navigatione ea,	Fortasse ad eum portum spectant verba, quem Nearchus „portum Alexandri“ nominavit, cf. Ind. 21, 10: ὅτι δὲ μέγας τε καὶ καλὸς ὁ λιμὴν Νεάρχῳ ἔδοξεν, επονομάζει αὐτὸν Ἀλεξάνδρου λιμένα.
flumen Nabrum navium capax,	Ind. 22, 8. ὁρμίζονται ἐν τῷ στόματι τοῦ Ἀράβιος ποταμοῦ· καὶ λιμὴν μέγας καὶ καλὸς πρὸς τῷ στόματι.
contra insula distans LXX stadia,	Ind. 22, 10. νῆσος δὲ ἐπὶ τῷ λιμένι ὑψελὴ καὶ ἔρημος.
Alexandria condita a Leonnato iussu Alexandri in finibus gentis (sc. Oritarum)	Urbs ab Arriano non commemoratur, cf. Freinsheim. Curt. IX, 10, 7. Ind. 23, 5. An. VI, 22, 4.
Argenus, portu salubri,	
flumen Tonberon navigabile,	Ind. 24, 1. ὡρμίζοντο πρὸς ποταμῷ χειμάρρῳ· Τόμηρος ὄνομα ἦν τῷ ποταμῷ.

circa quod Pasirae [1]) — Ind. 26, 2. κωμὴ Πασιρά.

deinde Ichthyophagi tam longo tractu, ut XXX dierum spatio praenavigaverint. [2]) — Ind. 26, 2. Ἰχθυοφάγοι.

insula quae Solis appellatur et eadem nympharum cubile, rubens, (?) in qua nullum non absumitur incertis causis. — Ind. 31, 1. ταύτην (νῆσον) ἱρὴν ἡλίου ἔλεγον εἶναι οἱ ἐπιχώριοι, καὶ Νόσαλα καλέεσθαι· οὐδέ τινα ἀνθρώπων καταίρειν ἐθέλειν εἰς ταύτην· ὅστις δὲ ἂν ἀπειρίῃ προσέχῃ, γίνεσθαι ἀφανέα. l. l. 31, 6. οἰκῆσαι μὲν τὴν νῆσον ταύτην μίαν τῶν Νηρηΐδων.

Ori gens [3]) — Ind. 32, 4. γῆ Ὠρειτέων.

flumen Caramaniae Hyctanis portuosum et auro fertile, ab eo primum septentriones apparuisse adnotavere. Arcturum neque omnibus cerni noctibus nec totis unquam. Achaemenidas (?) usque illo tenuisse. Aeris et ferri metalla et arrenici ac mini exerceri. — Strab. XV, 2, 14 p. 726. Fortasse idem flumen, quod Arrianus (Ind. 33, 2) Ἄναμις nominat. Quod si probamus, post promontorium Caramaniae est ponendum.

Inde promontorium Caramaniae est, ex quo in ad- — De promontorio Caramaniae nihil apud Arrianum.

---

[1]) Plinius vel Iuba hoc loco erravit, nam Pasirae, quas Arrianus memorat, nongenta stadia a flumine absunt.

[2]) Vincentius XX dies Nearcho auctore numerat, cum quo congruit Plinii editio Delcampiana et Broteriana, sed auctoritas codicum optimorum praevalet. cf. Schmieder Arr. Ind. p. 162. 163.

[3]) Ut supra iam docuimus, a Plinio ordo tribuum est confusus.

versa ora ad gentem Arabiae Macas traiectus distat L M p.	Ind. 32, 7. *Μάκετα,* promontorium Arabiae.
Insulae III, quarum Oracla tantum habitatur aquosa, a continenti XXV M. p.	Ind. 37, 2. *Ὀάρακτα.*
Insulae IV iam in sinu ante Persida. Circa has hydri marini vicenum cubitorum adnatantes terruere classem.	Fortasse in eorum numero insulae sunt habendae, quas Arr. Ind. 37, 6 sqq. affert.
Insula Athothadrus,	Ind. 38, 2. *Καίκανδρος?* (Harduinus).
item Gauratae, in quibus Gyani gens;	
flumen Hyperis in medio sinu Persico, onerarium navium capax;	Ind. 38, 7. *Ἀρεών?*
flumen Sitiogagus, quo Pasargadas septimo die navigatur;	Ind. 38, 8. *Σιτακὸς ὄνομα τῷ ποταμῷ ἦν.*
flumen navigabile Phristimus,	Ind. 39, 1. *Ἡράτεμις?* (Harduinus).
insula sine nomine,	
flumen Granis modicarum navium per Susianen fluit, dextra eius adcolunt Deximontani, qui bitumen perficiunt.	Ind. 39, 3. *Γρᾶνις.*
Flumen Zarotis ostio difficili nisi peritis;	Ind. 39, 9. *οὔνομα δὲ τῷ ποταμῷ Ὀροάτις.*
insulae II parvae,	Inter quas fortasse *Μαργάστανα* Ind. 41, 1.

inde vadosa navigatio palustri similis per euripos tamen quosdam peragitur.	Ind. 42, 2 sqq.
Ostium Euphratis,	Ind. 41, 6.
lacus, quem faciunt Eulaeus et Tigris iuxta Characem;	Ind. 42, 2.
inde Tigri Susa.	Ind. 42, 7.

Quae nomina et Arriani et Plini si comparamus, liquet navigationis descriptionem, quam et Onesicritus et Nearchus confecerunt, maximam partem congruere; quibus locis non consentiunt, illa discrepantia ad unam earum caussarum, quas antea commemoravimus, est referenda. Quod autem Dodwellus miratur spatia milibus passuum apud Plinium definita esse; utrum Iuba an Plinius id fecerit, parvi ad rem, quam spectamus, refert. Mea quidem sententia ad Plinium haec spatiorum mensura est referenda, quia in navigationis descriptione et stadia et milia passuum invenimus.

In illa navigatione, ut ad propositum redeamus, fortem atque strenuum se praebuit Onesicritus. Nam cum ad exitum maris rubri venisset, Nearchum, ut etiam Arabiam circumnavigaret, impulit; ille autem id consilium non solum improbavit, sed etiam eum parum prudentem appellavit.[1]) Neque multo postquam ad flumen Anamin pervenerunt atque exercitum regis non procul abesse compererunt, Nearchus et Onesicritus ad Alexandrum profecti magno gaudio ab eo sunt accepti. Relatis deinde iis quae viderant, rex eos redire atque rursus terram legere iussit, donec ad Euphratis ostia appellerent classem. (Curt. X, 2 [1,10] sqq.) Navigatione perfecta Onesicritus atque Nearchus postquam ad regem Susa venerunt, propter merita sua, quod classem

---

1) Arrian. Ind. 32, 9. An. VII, 20, 9.

ex India per Oceanum salvam duxissent, a rege eodem modo quo Hephaestio aliique corporis custodes sunt coronati. [1])

De reliqua Onesicriti vita hoc unum ex Plutarchi [2]) narratiuncula comperimus, eum Alexandro mortuo in Thracia apud Lysimachum regem vitam egisse atque senectute confectum, cum iam provectiore aetate Alexandrum in Asiam esset secutus, diem supremum obiisse. Ex Onesicriti filiis, quos Diogenes Laërtius (VI, 75) commemorat, maior Philiscus [3]) fuit, qui septem tragoedias compluresque dialogos scripsisse dicitur, minor Androsthenes, de quo nihil praeterea compertum habemus.

---

[1]) Arr. an. VII, 5, 6. ἐπὶ τούτοις δὲ Νέαρχον ἐπὶ τῷ περίπλῳ τῷ ἐκ τῆς Ἰνδῶν γῆς κατὰ τὴν μεγάλην θάλασσαν ἐστεφάνωσε· καὶ γὰρ καὶ οὗτος ἀφιγμένος ἤδη ἐς Σοῦσα ἦν· ἐπὶ τούτοις δὲ Ὀνησίκριτον τὸν κυβερνήτην τῆς νεὼς τῆς βασιλικῆς· ἔτι δὲ Ἡφαιστίωνα καὶ τοὺς ἄλλους σωματοφύλακας. cf. Arr. Ind. 42, 9.

[2]) Plut Alex. 46. λέγεται δὲ πολλοῖς χρόνοις Ὀνησίκριτος ὕστερον ἤδη βασιλεύοντι Λυσιμάχῳ τῶν βιβλίων τὸ τέταρτον ἀναγιγνώσκειν etc.

[3]) cf. Erschi et Gruberi Encycl. s. III. v. 23. p. 319.

II.

De scriptis Onesicriti eorumque argumento.

Quo tempore Onesicritus commentarios composuerit, intellegi potest ex narratiuncula Luciani (quom. hist. s. conscr. §. 40 p. 268 ed. Didot.): „*Εἰ δὲ τὸ παραυτίκα τις θεραπεύοι, τῆς τῶν κολακευόντων μερίδος εἰκότως ἂν νομισθείη, οὓς πάλαι ἡ ἱστορία ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς ἀπέστραπτο, οὐ μεῖον ἢ κομμωτικὴν ἡ γυμναστική. Ἀλεξάνδρου γοῦν καὶ τοῦτο ἀπομνημονεύουσιν, ὅς, Ἡδέως ἄν, ἔφη, πρὸς ὀλίγον ἀνεβίουν, ὦ Ὀνησίκριτε, ἀποθανών, ὡς μάθοιμι, ὅπως ταῦτα οἱ ἄνθρωποι τότε ἀναγιγνώσκουσιν· εἰ δὲ νῦν αὐτὰ ἐπαινοῦσι καὶ ἀσπάζονται, μὴ θαυμάσῃς· οἴονται γὰρ οὐ μικρῷ τινι τῷ δελέατι τούτῳ ἀνασπάσειν ἕκαστος τὴν παρ' ἡμῶν εὔνοιαν. Ὁμήρῳ γοῦν, καίτοι πρὸς τὸ μυθῶδες τὰ πλεῖστα συγγραφότι ὑπὲρ τοῦ Ἀχιλλέως, ἤδη καὶ πιστεύειν τινὲς ὑπάγονται, μόνον τοῦτον εἰς ἀπόδειξιν τῆς ἀληθείας μέγα τεκμήριον τιθέμενοι, ὅτι μὴ περὶ ζῶντος ἔγραφεν· οὐ γὰρ εὑρίσκουσιν οὗτινος ἕνεκα ἐψεύδετ' ἄν.*“ Attamen cum opus eius, ut ex fragmentis iudicari potest, tam copiosum esset, ut Alexandro vivente perfici non posset, maxime probabile est, id quod ex Plutarcho (vita Alex. c. 46.) est colligendum, illum, Alexandro mortuo, Lysimachum in Thraciam secutum, ibi opus suum elaborasse atque edidisse.

Quomodo commentarios, quos de rebus ab Alexandro Magno gestis confecit, inscripserit, maxime dubium est.

Diogenes Laërtius (VI, 84) enim Onesicritum *πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη* scripsisse nobis tradit, Arrianus autem (An. VI, 2, 3) *συγγραφὴν ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου* memorat, cum quo Lucianus (Macrob. c. 14. p. 641 ed. Didot) consentit. Illum vero de Alexandri educatione librum separatum ab illo opere in quo expeditionem Alexandri tractavit, ab Onesicrito confectum esse verisimile non est, sed pars eius fuit atque ut totum Xenophontis opus ex primis libris qui agunt de Cyri educatione *Κύρου παιδεία*, sic Onesicriti commentarii ex primis libris, in quibus ille Alexandri iuventutem tractavit, *πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη* inscripti esse mihi videntur.

Alia quaestio est, quam Dodwellus et Geierus proposuerunt, num singularem quendam librum de illa navigatione, quam iam supra commemoravimus, ediderit Onesicritus. Cum autem, id quod iam Dodwellus [1]) observat, uno Plini loco (VI, 26, 96,) excepto, ex quo fortasse hoc colligi posset, ne lenissimum quidem vestigium reperiatur libelli ab Onesicrito editi, qui de hac navigatione ageret, consentiendum est Geiero, qui non singulari quodam libro, sed libris in universum de Alexandri rebus conscriptis hanc quoque navigationem ab Onesicrito tractatam esse contendit. Attamen, quamquam illum paraplum separatum ab Alexandri historia non editum esse tenet, tamen ex loco Diogenis Laërti (VI, 84) quomodo reliquae commentariorum partes alia alio modo ut *πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη*, vel *ἐγκώμιον Ἀλεξάνδρου* inscriptae essent, ita partem quae de illa navigatione ageret, *παράπλουν* appellatam esse coniectat. Cum autem nullo modo partes

---

[1]) In Dissertatione de Arriani Nearcho Schmiederi editioni Indicae affixa.

operis πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη vel ἐγκώμιον Ἀλεξάνδρου inscriptas esse demonstrari possit, ea etiam, quae de paraplo affert, omnino sunt improbanda. Diogenes Laërtius enim, postquam loco laudato Xenophontem cum Onesicrito comparavit, haec addit: κἀκεῖνος (sc. Ξενοφῶν) μὲν Παιδείαν Κύρου, ὁ δὲ Πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη γέγραφε· καὶ ὁ μὲν ἐγκώμιον Κύρου, ὁ δ' Ἀλεξάνδρου πεποίηκε· καὶ τῇ μὲν ἑρμηνείᾳ δὲ παραπλήσιος, πλὴν ὅτι ὡς ἀπόγραφος ἐξ ἀρχετύπου δευτερεύει. Cum autem nulla laudatio Cyri a Xenophonte confecta citetur, liber autem, qui de eius educatione agit, laudationem quoque contineat, verba ἐγκώμιον Κύρου πεποίηκε ad κἀκεῖνος Παιδείαν Κύρου γέγραφε sunt referenda nihilque aliud nisi ἐγκεκωμίακε valent. Eodemque modo est statuendum de Onesicrito, cuius liber πῶς Ἀλέξανδρος ἤχθη laudationem Alexandri etiam comprehendit.

Commentarios Onesicriti de rebus Alexandri Magni in complures libros fuisse digestos non ex ea re solum liquet, quod adventus Amazonis quarto libro [1]) narratus est, sed etiam ex ipsa argumenti copia, quam ex fragmentis cognoscimus, comprobatur. Attamen quae Meierus ex loco Luciani [2]) coniectat, Onesicritum in commentariis Persici

---

[1]) Plut. Al. 46. τῶν βιβλίων τὸ τέταρτον ἐν ᾧ γέγραπται περὶ τῆς Ἀμαζόνος. Quamquam non constat quo tempore hunc Amazonis adventum Onesicritus tradiderit, cum Diodorus Siculus (XVII, 77) eum in secunda in Hyrcania expeditione, Quintus Curtius (VI, 5) et Iustinus (XII, 3) post Hyrcaniam subiectam, Plutarchus (Al. 46) post Iaxartis transitum accidisse narrent: tamen Onesicritum non post Indiae expeditionem, ut Arrianus solus (An VII, 13) fecit, Amazonis adventum posuisse puto.

[2]) Macrob. c. 14 p. 641 ed. Didot: Κῦρος δὲ ὁ Περσῶν βασιλεὺς, ὁ παλαιὸς, ὡς δηλοῦσιν οἱ Περσῶν καὶ Ἀσσυρίων ὅροι, οἷς καὶ Ὀνησίκριτος ὁ τὰ περὶ Ἀλεξάνδρου συγγάψας, συμφωνεῖν δοκεῖ, ἑκατοντούτης

regni quoque historiam tractasse, a Geiero (p. 78) recte refutata sunt; nam quae Lucianus affert, ad eundem locum, quo de sepulcro Cyri ille egit, pertinere videntur.

Quatenus ex fragmentis perspicere possumus, Onesicritus non solum res privatas atque bellicas Alexandri tractavit, sed etiam copiosissime de eis regionibus atque populis, per quos Alexander exercitum duxit, disputavit. Qua ex caussa, quamquam nemo historicus, Plutarcho, qui septem locis ad eum provocat, excepto [1]) scripta eius in usum suum convertit, tamen magna fragmentorum pars ab eis, qui descriptionem illarum regionum confecerunt, est servata. Imprimis vero Indiae regiones, quae tam multa mirabilia atque nova praebuerunt, ab eo copiosissime sunt descriptae; id quod maxime elucet e Strabone, qui, cum eum, *οὐκ Ἀλεξάνδρου μᾶλλον ἢ τῶν παραδόξων ἀρχικυβερνήτην* (XVI, 1, 28, p. 698) nominaret, tamen in Indica praeter Nearchum, Aristobulum, Megasthenem persaepe eius scriptis atque auctoritate est usus. Itaque hoc loco quia pleraque fragmenta ex eius descriptione Indiae sunt hausta, ea sub conspectum ponere atque cum recentiorum narrationibus comparare non inutile esse mihi videtur. Primum autem quid de magnitudine atque gentibus Indiae tradiderit, spectabimus, deinde de fluviis, animalibus, plantis agemus.

De magnitudine igitur Indiae, quam tertiam orbis terrarum partem esse dixit, eodem modo, quo reliqui Alexandri comites, qui de ea regione scripserunt, erravit; ex gentibus autem vel regnis, quae in eo tractu Indiae, quem

---

γενόμενος ἐζήτει μὲν ἕνα ἕκαστον τῶν φίλων. Μαθὼν δὲ τοὺς πλείστους διαφθαρμένους ὑπὸ Καμβύσου, καὶ φάσκοντος Καμβύσου κατὰ πρόσταγμα τὸ ἐκείνου ταῦτα πεποιηκέναι, τὸ μὲν τι πρὸς τὴν ὠμότητα τοῦ υἱοῦ διαβληθεὶς, τὸ δέ τι ὡς παρανομοῦντα αὐτὸν αἰτιασάμενος ἀθυμήσας ἐτελεύτα τὸν βίον.

[1]) Vit. Alex. 9. 15. 46. 60. 61. 65. 66.

armis Alexander subegerat, erant, quinque in fragmentis Onesicriti memorantur:

ἡ Ἀβισάρου χώρα Strabo XV, 1, 28 p. 698 Ael. h. a. XVI, 39. Tzetz. Chil. III, 941 sqq. (Abhisâra [Lassen Pentapot. Ind. p. 18] ex quo nomine sanscritico variae lectiones, quae in libris inveniuntur, exortae esse videntur, ut Ἀβισσάρης, Ἀμβισάρης, Βαρισάδης etc. cf. Schmieder ad Arr. an, IV, 27, 10. Ellendt ad Arr. an. V, 8, 4. Jacobs ad Ael. h. a. XVI, 39).

ἡ Καθαία Strabo XV, 1, 30; in qua regione pulcherrimus quisque rex eligi a nostro traditur. (Khattia? Lassen, Indische Alterthumskunde I, 99 Pent. Ind. p. 23.)

ἡ Μουσικανοῦ Strabo XV, 1, 21 p. 694 et XV. 1, 34 p. 701, quam regionem tam salubrem esse narrat Onesicritus, ut homines ad centum et triginta annorum aetatem perveniant cf. Plin. VII, 2, 29.

ἡ Πεταληνή (Strab. XV, 1, 34 p. 701) ab urbe Patala (Pôtâla Lassen I. A. I p. 97) sic appellata. Forma insulae Patalenae, quam Onesicritus affert, etiamnunc eadem est, nam ab urbe Heiderâbâd, ubi flumen dividitur, usque ad mare XXV millia geogr. sunt, a primo usque ad ultimum fluminis ostium idem est intervallum (cf. Lassen I. A. I. 95), stadia autem, ut liquet, non quadrant. Quod praeterea ad latitudinem fluminis Indi attinet, nisi forte lectionem corruptam esse statuimus, id quod etiam Kramerus (ad Str. vol. III p. 206) facit, nullo modo congruit cum eis, quae apud Alexandrum Burnes (Travels vol. III p. 10 sqq.) legimus, qui Indum eo loco, quo dividitur, D cubitos latum esse dicit.

Gens Ori vel Oretum Plin. II, 75, 184, VI, 26, 98 cf. Kramer ad Str. XV, 2, 7, p. 723 Cas.

Ex fluminibus haec nomina afferuntur:

Ἰνδός Str. XV, 1, 34. p. 701. (Sindhu Lassen I. A. I p. 36. Anm. 4.)

Hyphasis Plin. II, 75, 184 (Vipâça Lassen I. A. I p. 44 Anm. 4.)

Ὑδάσπης Plut. Alex. 60 (Vitastâ).

Ex bestiis Indicis ab Onesicrito describuntur:

Elephantes, (Strab. XV, 1, 43 p. 705. Plin. VI, 24, 81), quos prodit trecentos, nonnullos etiam quingentos annos vivere, feminas autem decem per annos esse gravidas. Vehementer hic peccat Onesicritus, nam quamquam non certo scimus, quot annos elephas non domitus conficere possit, tamen eum ducentos annos excedere probabile non est. (Lassen I. A. I p. 305. Ritter Asien V, 903.)

Serpentes, inter quos boa constrictor, (Str. XV, 1, 28 p. 698. Ael. h. a. XVI, 39, Tzetz. chil. III, 940.) cuius longitudinem ab aliis, ex quibus de hac re sciscitavit, deceptus, octoginta vel centum et quadraginta cubitorum esse dicit.

Hippopotami (Strab. XV, 1, 13 p. 690. et 1, 45 p. 707. Arr. Ind. 6, 8). Nemo praeter Onesicritum et Philostratum [1]) hanc belluam commemorat; quomodo autem factum sit, ut uterque hippopotamos inter Indiae animalia numeraret, difficile est diudicatu.

Ex arboribus et plantis produntur:

Ficus Indica (Str. XV, 1, 21. p. 694), cuius descriptio optime cum eo, quod apud Lassen (I. A. I, p. 255 sqq.), Bohlen (Altes Indien I, 39), Bluhme (Rumphia II p. 13) legimus, congruit.

Bosmorum (Strab. XV, 1, 18 p. 692), frumenti genus, minus tritico. Quae planta sit, non planum est (cf. Lassen I. A. I, 247 Anm. 3).

Arbor quae lanam fert (Servius ad Virg. Aen. I, 653)

---

[1]) Vit. Apoll. Th. II. 19.: *κομιζόμενοι δὲ διὰ τοῦ Ἰνδοῦ πολλοῖς μὲν ποταμίοις ἵπποις ἐντυχεῖν φασι, πολλοῖς δὲ κροκοδείλοις, ὥσπερ οἱ τὸν Νεῖλον πλέοντες* sqq.

i. e. gossypium herbaceum. cf. Herod. III, 106. Lassen I. A. I, p. 249 sqq.

Restat, ut de Taprobana[1]) insula pauca dicam, quae Alexandri tempore cognita inter omnes Alexandri M. scriptores aetate suppares ab Onesicrito solo memoratur.

Taprobanae (Strab. XV, 1, 15 p. 691. Plin. VI, 24, 81) magnitudinem Onesicritus facit stadiorum quinque milium, quae mensura, si ad circuitum spectat, quoniam Onesicritus utrum ad longitudinem an ad latitudinem sit referenda, non dicit, optime quadrat; de spatio autem, quo eam insulam a continenti abesse scribit, erravit, nisi forte illam insulam cum aliis a continenti longius distantibus confudit. (cf. Bohlen A. I. I, 29). Quod ad belluas, quas insula gignit, attinet, amphibiorum incredibili magnitudine atque forma et elephantorum mentionem fecit.

Ex his fragmentis apparet non minimam Indicarum regionum notitiam Strabonem et Plinium ex Onesicriti commentariis hausisse. Sed haec hactenus.

---

[1]) Tâmraparnhî cf. Lassen I. A. I p. 193 sqq. Id. Dissertatio de insula Taprobane veteribus cognita. Bonn. 1842. Ritter Asien VI, 14 sqq. St. Croix Ex. crit. 73. 732.

III.

De fide at auctoritate Onesicriti.

Veteres scriptores, quotiescunque de eis, qui Alexandri historiam scripserunt, iudicant, Onesicritum numerant inter eos, qui fabularum et miraculorum studiosissimi de rege atque regionibus ab eo subactis inauditas res tradiderint. Inter quos primum audiamus Gellium (Noctt. Att. IX. c. 4): Quum e Graecia in Italiam rediremus et Brundusium iremus, egressique e navi in terram in portu illo inclyto spatiaremur, quem Q. Ennius remotiore paulum sed admodum scito vocabulo *praepetem* appellavit; fasces librorum venalium expositos vidimus. Atque ego avide statim pergo ad libros. Erant autem isti omnes libri Graeci miraculorum fabularumque pleni; res inauditae, incredulae; scriptores veteres non parvae auctoritatis, Aristeas Proconnesius et Isogenus Nicacensis et Ctesias et O n e s i c r i t u s et Polystephanus et Hegesias. Ipsa autem volumina ex diutino situ squallebant, et habitu adspectuque taetro erant. Accessi tamen percunctatusque pretium sum: et adductus mira atque insperata vilitate libros plurimos aere pauco emo eosque omnes duabus proximis noctibus cursim transeo: atque in legendo carpsi exinde quaedam et notavi mirabilia et scriptoribus fere nostris intentata; eaque his commentariis adspersi sqq. Qua ex narratione quamquam apparet Gellium Onesicritum in numero eorum qui propter vaniloquentiam male audirent, habuisse, tamen quae ex illis

rerum mirabilium auctoribus affert, tam inepta tamque insana sunt ut nihil ad Onesicritum spectare videatur.

Iam vero inter vituperatores sunt principes Strabo et Arrianus; ex quibus alter (XV, 1, 28 p. 698 Cas.) Onesicritum *οὐκ Ἀλεξάνδρου μᾶλλον ἢ τῶν παραδόξων ἀρχικυβερνήτην* appellat, cauteque addit: *πάντες μὲν γὰρ οἱ περὶ Ἀλέξανδρον τὸ θαυμαστὸν ἀντὶ τἀληθοῦς ἀποδέχονται μᾶλλον, ὑπερβάλλεσθαι δὲ δοκεῖ τοὺς τοσούτους τῇ τερατολογίᾳ, λέγει δ᾽οὖν καὶ πιθανὰ καὶ μνήμης ἄξια, ὥστε καὶ ἀπιστοῦντα μὴ παρελθεῖν αὐτά,* alio loco minus severe de eo iudicat II, 1, 9 p. 70: *ἅπαντες μὲν τοίνυν οἱ περὶ τῆς Ἰνδικῆς γράψαντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ψευδολόγοι γεγόνασι, καθ᾽ ὑπερβολὴν δὲ Δηΐμαχος· τὰ δεύτερα λέγει Μεγασθένης· Ὀνησίκριτος δὲ καὶ Νέαρχος καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι παραψελλίζοντες ἤδη.* Arrianus autem simpliciter eum mentitum esse dixit (An. VI, 2, 3): *ὃς ἐν τῇ ξυγγραφῇ καὶ τοῦτο ἐψεύσατο, ναύαρχον ἑαυτὸν εἶναι γράψας, κυβερνήτην ὄντα.*[1])

Plutarchus (Al. 46) et Lucianus (quom. hist. s. conscr. 40, p. 268 ed. Didot) quamquam non aperte iudicium de Onesicrito faciunt, tamen ex narratiunculis, quas servaverunt, eos minus Onesicriti auctoritate confisos esse colligi potest. Haec de iudicio veterum scriptorum. Recentiores Geierus, Santo-Crucius, Carolus Muellerus, reliqui, cum illis consentiunt atque Onesicritum mala fide omniaque exaggerandi libidine fuisse accusant. Quod iudicium, quatenus iustum sit, nunc videamus.

Nam ut silentio praetereamus iudicium Arriani, de

---

[1]) Eadem verba etiam leguntur apud Suidam sub voce *Νέαρχος*, ubi vocabulum *Νέαρχος*, ut supra iam docui, in *Ὀνησίκριτος* est commutandum.

quo iam paulo ante disputavimus, reliqui utrum vere an falso iudicaverint, fragmentis quae exstant, optime ponderari potest.

Inter vituperatores nemo Onesicritum magis exscripsit, quam Strabo, qui quamquam minus fidei propter τερατολογίαν, ut ex loco laudato cognosci potest, ei tribuit, tamen commentarios eius non neglegendos esse putavit. Attamen illa teratologia non solum apud Onesicritum sed etiam apud omnes Alexandri comites, qui in commentariis descriptionem Indiae intexuerunt, invenitur; id quod minime est mirandum, si animo perpendimus illam regionem usque ad Alexandri tempus et Macedonibus et Graecis vix fama cognitam fuisse. Herodotus quidem et Scylax et Hecataeus et Ctesias in scriptis Indiae quoque mentionem fecerunt, sed quae narraverunt, maximam partem vel incredibilibus rebus erant mixta vel tam exaggerata, ut nemo de earum rerum veritate quidquam certi statuere posset. Cum autem Alexander regno Persarum everso, in Indiam profectus esset, tum demum regiones inter Indum atque Hyphasim sitae magis innotuerunt. Quo facto quamquam Macedones et Graeci exiguam modo Indiae partem expugnaverunt, tamen multas res de India relatas, quas antea incredibiles esse putaverant, veras esse cognoverunt; quo facilius, ut quae non viderant atque a Brahmanis, qui propter sapientiam et doctrinam maxime colebantur et observabantur, audierant, ea quoque vera esse putarent, commoveri potuerunt. Si igitur in rebus Indicis de Onesicriti fide aliquid statuere volumus, id maxime spectandum est, utrum quae ipse viderit, an quae ab aliis audiverit, commemoret. Itaque huc sunt referenda, quae tradit de serpentibus regis Abisari (Str. XV, 1, 28 p. 698), de Taprobana insula atque elephantis amphibiisque quae ibi gignuntur (Str. XV, 1, 15 p. 691. XV, 1, 43 p. 705. Plin. VI, 24, 81.), de magnitudine Indiae (Strab. XV, 1, 12 p.

689. Arr. Ind. 3, 6.), de locis Indiae umbra carentibus, quibus corpora hominum cubitorum quinum et binorum palmorum existere et vivere annos centum triginta narrat (Plin. VII, 2, 28); ex eis vero, quae ad eam Indiae partem spectant, quam Onesicritus ipse viderat, primum proponam, ex quibus Geierus (p 78. Anm. 1), cum Onesicriti narratio cum fragmentis Aristobuli, Nearchi, Megasthenis comparari possit, exaggerandi studium eius demonstrare vult.

Dixit enim Onesicritus ramos fici Indicae (Strab. XV, 1, 21 p. 694), cum ad duodenos cubitos creverint, reliquum incrementum pronum facere atque deflecti, quò usque terram contingant, deinde radices agere veluti arborem ipsam; quos ramos, postquam aucti fuerint, eodem modo alios agere, qui cum ad terram usque descenderint, aliam propaginem efficiant ac sic deinceps. Eo autem modo ab una arbore tantum umbraculum fieri, ut in unius arboris umbra meridiari possint quadringenti equites; Aristobulus autem cum eo non consentiens quinquaginta dicit. Qua de re audiamus Lassen (I. A. I. p. 256):

„Der grösste bekannt gewordene Baum ist der auf einer Insel der Narmadâ kurz oberhalb Barygaza, der Kabir Bar genannt wird. Der Strom hat diesem öfters grosse Stücke seines Gebietes weggerissen und er besteht nicht mehr in seiner früheren Grösse. Heere von 6000 bis 7000 Mann haben öfters in seinen Schattengängen ihr Lager gefunden, so dass die Nachrichten der Alten vom grossen Umfange des Schattens der Feigenbäume nichts übertrieben haben, obwohl natürlich diese Bäume bei ihrem Leben in sehr verschiedenen Stufen der Entwicklung erscheinen."

Praeterea Lassen I. A. I p. 257 A. 2 dicit: „Onesicritus bei Strabo (XV, 1, 21) giebt eine sehr gute Beschreibung des Baumes; der grösste Baum soll am Mittage fünf Stadien (⅛ M.) Schatten geworfen haben; soll dies

der Schatten der Höhe des Baumes sein, ist es freilich unglaublich, für den Durchmesser der Ausdehnung des ganzen Baumwaldes aber durchaus nicht."

Alter locus est de insula quam Indus in mare influens efficit, cuius unumquodque latus Onesicritus bis mille stadiorum esse eamque triangulam figuram habere dicit: ad quod, insulam Aegyptio Delta esse aequalem, addit. Si, quae de similitudine Delta Aegyptii dicit, silentio praeterimus atque mensuram Onesicriti, Aristobuli, qui mille stadia affert, Nearchi, qui his addit octingenta, cum recentiorum mensura comparamus, Aristobulus proxime ad veritatem accedit. Attamen hoc loco Onesicritus est excusandus, nam nihil est difficilius quam spatium sine decempeda oculis metiri.

Eodem modo non vitio est ei attribuendum, quod in Musicani regno, id quod Megasthenes (Strab. XV, 1, 54, p. 710. XV, 1, 59, p. 712. Diod. Sic. II, 39. Arr. Ind. 10, 8) negat, servos esse dicit; nam in eo Brahmanorum regno aborigines, qui nunc Parias appellantur, eodem loco quo servi haberi potuerunt. Reliqua fragmenta quae ad Indiam spectant, uno loco de hippopotamis excepto, ex quo tamen Onesicritum industria veritatem depravasse colligi non potest, nullam ansam reprehensionis dant, itaque singulatim ea afferre operae non pretium est.

Ex his igitur omnibus fragmentis apparet, Onesicritum tantam vituperationem, quanta obrutus est a Strabone, qui eum ἀρχικυβερνήτην παραδόξων nominat, non meruisse; nam narratione mirabilium atque fabulosarum rerum, quas aliorum auctoritate ductus de India tradit, multo superatur a Megasthene, cuius fidem relativam A. Schwanbeckius (Megasthenis Indica Bonn 1846 p. 74) in dubitationem vocare non audet; in rebus autem, quae ad illam partem Indiae, quam ipse viderat, attinent, fides non est ei abiudicanda. Nunc spectemus, quid sit iudicandum de reliquis fragmentis.

Ut silentio transeamus quae de magnitudine balaenarum (Ael. h. a. XVII, 6) tradit, ad quam alii etiam scriptores balaenas, antequam homines eis tanto studio insidiarentur, pervenisse demonstrant, de Cyri sepulcro (Strab. XV, 3, 7 p. 730. Santo-Crucius Ex. cr. p. 421. Droysen hist. Al. p. 489), de morte Calani (Lucian. de morte pereg. c. 25 p. 694 ed. Did. cf. St.-Cruc. Ex. cr. p. 439. Droysen l. l. p. 503), de viatico Alexandri in Asiam traicientis (Plut. Al. 15), reliqua; quae omnia, quamquam non omnibus locis cum reliquorum scriptorum narrationibus congruunt, tamen caussam, ut eius fides in dubitationem vocetur, non praebent: at a consilio non est alienum spectare, quid sit iudicandum de insula, in qua Plini auctoritate (VI, 26, 97) nullum non animal absumitur atque de Amazone, quam ille Plutarcho (Alex. 46) auctore ad Alexandrum Magnum venisse scribit.

De illa insula quamquam Nearchus eodem modo quo Onesicritus hanc fabulam (Arr. Ind. 31 sqq.) narrat, tamen se ipsum fabulam esse vanam invenisse addit. Non ita Onesicritus. Attamen cum, ut iam antea demonstravimus, Plinius non Onesicritum ipsum, sed Jubam, qui illum exscripsit, in navigationis descriptione est secutus: num pro tanta parapli brevitate atque pro fonte impuro, ex quo illa descriptio est hausta, summo iure Onesicritum fabulam solam de hac insula pervulgatam tradidisse, nihil de illius refutatione addidisse, statuere nobis licebit? Nullo modo. Mea quidem senientia ut Nearchus sic Onesicritus fabulam in commentariis refutavit. Iuba autem vel Plinius, quia nomina mansionum sola ex eius paraplo exscripserunt, fabulae refutationem addere omiserunt.

Multo facilius est iudicium de Amazonis adventu. Nam in hac re Onesicritus, ut plerique alii scriptores, quos Plutarchus affert, adulatione erga Alexandrum ductus, cum filia

Scytharum regis virili ornatu atque cultu ad regem venisset, Amazonem ad eum venisse scripsit.

Quam ob rem, quatenus ex fragmentis Onesicriti cognosci potest, fides non omnino, ut veteres recentioresque faciunt, est ei abiudicanda. Nam res fabulosas atque mirabiles, quas de India tradidit, auctoritate aliorum commotus, scriptis suis inseruit, quae vero ipse viderat, si fortasse ea quae blandiendi studio ductus exaggeraverit (id quod omnibus fere Alexandri Magni scriptoribus accidit) exceperis, omnia ad veritatem enarrasse videtur, atque ut Nearcho, Aristobulo, Anaximini ita etiam Onesicrito fides attribuenda est.

VITA FRIDDRICI LILIE.

Natus sum Magdeburgi a. d. XVII kal. April. anni h. s. XXXIX Friderico et Augusta parentibus. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum initiis imbutus auctumno anni XLIX patriae urbis gymnasium adii quod cum decem per annos frequentassem auctumno anni LIX ad academiam Fridricianam Hallensem migravi. Ibi cum et theologiae et philologiae operam dedissem, postquam hanc non sine illius detrimento coli posse cognovi, totum me dedidi philologiae. Itaque audivi Tholucki, Hupfeldi theologicas, Bernhardyi et Bergki philologicas, Heyni philosophicas, Leonis historicas scholas. Vere autem anni LXI Bonnam transii, ubi scholas frequentavi virorum clarissimorum Ritscheli, Iahni, Schopeni, Ritteri, Monnardi, Deli, Nadaudi. His viris omnibus cum gratias agam quam maximas, praeter ceteros mihi nominandi sunt Ritschelius et Iahnius. Auctumno autem anni LXII quamquam fortuna adversa, cum semper propter virium infirmitatem militiae vacationem me adepturum esse sperarem, stipendia facere coegi, tamen benignitate centurionis mei tantum temporis mihi tributum est, ut studia mea continuare possem.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1) In Sophoclis Trach. v. 623. scribendum esse puto λόγων δὲ πίστιν ὧν ἐφεῖσ' ἐφαρμόσαι.

2) In Taciti Agr. c. 6 sic scribendum est: idem praeturae *torpor* et silentium.

3) Ciceronis verba de nat. d. I c. 10, 24 sic scribo: Quodque in nostro corpore si minima ex parte sic *incitetur*, molestum sit, cur hoc idem non habeatur molestum in deo?

4) Hermeneutica atque critica separatim non tractandae sunt.

5) Nimia acerbitate Tacitus de Tiberii moribus et ingenio mihi iudicasse videtur.

6) Ratio temporum belli Iugurthini, quam Mommsenus affert, improbanda est.

7) Optimum genus reipublicae esse puto, quod sit ex genere regio atque populari moderatum et permixtum.